



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Qvæst. I. De obiecto Logicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Prologus.

3

Alexandrinus *lib. 6. Stromatum*, rectè appellat *θεωρίαν τῆς ἀληθείας*, murum & vallum veritatis. Illa quam Plato *lib. 7. de Republ.* contendit scientiarum omnium esse apicem, ceteras utem scientias eius comparatione non esse scientias, sed medium tenere inter opinionem & scientiam; quia scilicet illa est quæ hominis nobilissimam partem optimo modo perficit, intellectum videlicet, ut circa præstantissima objecta ratiocinari possit absque vilo errore. Immeritò autem Tertullianus *lib. de præscriptionibus, cap. 7.* eam vituperat, vocatque *artificem fruendi, & destruendi versipellem: in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi.*

Totam autem hanc disciplinam Philosophiæ reliquæ præmitto ut pharum & lucernam splendidissimam, quæ dispellat à reliquis scientiæ huiusce partibus omnes tenebras, & caliginem omnem abigat; unde mihi quinque disputationibus videatur commodissimè totam concludi posse. Prima de natura & proprietatibus huius habitus, quem constabit totum occupari circa directionem trium mentis operationum. Secunda de iis quæ spectant ad directionem primæ operationis, & sunt ens rationis, prædicabilia, prædicamenta. Tertia de secunda operatione mentis. Quarta de tertia mentis operatione. Quinta demùm de demonstratione. Summulas autem volens hic præmitto, in quibus video nihil à me posse afferri, nisi quod à pluribus dictum esse video, & ad Tyronum deterrenda ingenia sæpius repetitum.



DISPUTATIO I.

De iis, quæ spectant ad naturam Logicæ.



REI cuiuslibet vera quidditas definitione illius necessariò continetur: constat autem definitio si bona est & legitima, *genere*, quod commune cum multis est; & *propriâ differentiâ*, quæ distinctiva est rei à quolibet alio, & ex qua potissimum innotescit. Cum igitur definitio vera Logicæ quam tractamus, ista sit, *Est habitus directivus trium mentis operationum*, tum naturam plenè dixerò, cum exposuero in quo genere habituum illa sit, quodnam illa obiectum habeat; à quo tamen ultimo placet ordiri, quia eo cognito facilis circa totum genus esse poterit resolutio.

QVÆSTIO I.

De obiecto Logicæ.

UT liquidò habeatur quid illud sit, quod scientiam hanc in certa specie constituit & determinat, habetque inter Doctores maximam controuersiam, tria paucis exequor. Primò, quid & quotuplex in scientiis sit obiectum. Secundò, quodnam sit obiectum materiale Logicæ. Terriò, quodnam sit eius obiectum formale.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit generatim obiectum scientiæ.

DE huiusmodi obiecto plenè disputo initio Metaphysicæ, nunc pingui solum mineruâ explico quid intelligi soleat nomine *Obiecti*, quid nomine *Obiecti materialis*, & *Obiecti formalis*, quid nomine *Obiecti adequati*, & *Obiecti attributionis*.

Certum igitur primò est, obiectum potentie ali-

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

cuius, vel scientiæ alicuius illud appellari, *Circa quod aliqua scientia vel potentia occupatur per suos actus.* Ratio est, quia obiectum scientiæ vel potentie dictum est id, quod obiicitur alicui scientiæ vel potentie: sed id, circa quod occupantur actus alicuius scientiæ vel potentie, illud ipsum est, quod illi obiicitur, & proponitur ut circa illud exerceat suos actus; est enim id quod scitur: ergo illud est obiectum scientiæ circa quod occupantur actus illius scientiæ vel potentie. V. g. obiectum potentie visivæ est corpus coloratum, quia est id, quod ab oculo videtur, & circa quod versatur ipsa visio. Et similiter corpus naturale, obiectum est scientiæ Physicæ, quia circa illud occupantur actus omnes Physicæ, quia tota Medicina occupat suos actus circa corpus ut sanabile.

Certum est secundò, obiectum scientiæ cuiuslibet aliud esse materiale, aliud formale. *Materiale*, res est ipsa quam scientia considerat, seu id quod non attingitur propter se ipsum, sed propter aliud. *Formale* est ratio secundum quam consideratur, id est id quod propter se ipsum attingitur, & alia propter ipsum. V. g. *corpus* est obiectum materiale visionis, *color* autem est obiectum formale, quia corpus non attingitur ab oculo nisi propter colorem. Ratio est, quia sicut in corpore illa pars est materialis, quæ communis est pluribus & indifferens ad diuersa specie corpora; pars verò formalis, quæ illam determinat ad certam speciem corporis, sic in obiecto illa vocatur pars materialis, quæ indifferens est ad diuersas scientias, ad quas pertinere potest; pars verò formalis ea, quæ illam determinat ad vnam certam scientiam: v. g. *corpus* pertinere potest tum ad Medicinam, tum ad Physicam; sed per *sanabile* determinatur ad Medicinam, per *naturale* ad Physicam. Unde argumentor. Pars illa obiecti est materialis, quæ est determinabilis; quæ verò est determinatiua, pars est formalis: sed id quod consideratur à scientia, & non attingitur nisi propter aliud, est determinabile; ratio autem propter quam, & secundum quam cognoscitur, est pars determinatiua: ergo res quæ cognoscitur à scientia est obiectum materiale; ratio autem secundum quam, & propter quam cognoscitur est obiectum formale.

Certum est terriò, duplex esse obiectum materiale; aliud enim est *complexum*, aliud *incomplexum*. Incomplexum vocatur obiectum materiale de quo, estque subiectum conclusionis scientificæ, seu id

A

cuius

Obiecti nomen quid vniuersim significet.

Obiectum materiale & formale.

Duplex obiectum materiale de quo, obiectum materiale.

4 Philosophiæ Peripateticæ Liber I.

enres probantur proprietates in illa scientia. **A**
Complexum vocatur *obiectum materiale* quod, &
est integra conclusio demonstratiua. Similiter ob-
iectum formale dicitur esse triplex, formale quod,
formale quo, formale sub quo. Ratio formalis quæ,
vocatur ratio cognita, seu id ex obiecto materiali
quod cognoscitur, seu prædicatum conclusionis
demonstratiuæ. Ratio formalis quæ, vel ut loquun-
tur alij, *propter quam*, vocatur ratio motiua, estque
motiui determinans potentiam ad talem spe-
ciem, assensus, seu est cognoscibilitas obiecti, vel
medius terminus. Ratio formalis *sub qua*, est
conditio aliqua requisita ex parte obiecti, sine
qua non potest terminare actum potentia, vel
habitus.

Obiectum
adequatum
& inadæ-
quatum.
Certum est quartò, obiectum scientiæ aliud esse
adequatum, aliud *inadequatum*. Adequatum illud
est quod continet omnia, quæ per se tra-
ctantur in tali scientia, & in ordine ad quod omnia tractan-
tur, ita ut quæcunque in ea per se tractantur, sint
vel partes, vel causæ, vel attributa illius, vel cer-
tè ad illud dicantur habitudinem. Vnde vocari etiam
solet *obiectum attributionis*, ad quod videlicet om-
nia quæ considerantur à scientia, ita reuocantur, ut
non considerentur nisi quatenus reuocantur. Ne-
que approbo quod Recentioribus nonnullis pla-
cet, huiusmodi obiectum distinguere ab obiecto
adequato, quod nimirum sic adequat scientiam,
ut nec alia excedatur, neque illam excedat: pa-
teret autem tale obiectum necessariò illud esse in or-
dine ad quod omnia sic tractantur, ut non tracten-
tur nisi per ordinem quem ad illud dicunt: igitur
obiectum attributionis est ipsummet obiectum adæ-
quatum. Fateor tamen obiectum attributionis
minùs propriè illud aliquando appellari, quod est
præstantius in obiecto scientiæ, & id cuius cog-
nitio præcipuè intenditur; sic enim *Deus* dicitur
obiectum attributionis in Metaphysica, & *homo*
in ipsa Physica. Sed hæc usurpatio impropria est,
quia verum obiectum attributionis illud est in or-
dine ad quod omnia tractantur in tali scientia. Ob-
iectum *principalitatis*, seu nobilissima pars obiecti
adequati, non est huiusmodi; nam tamen ad il-
lud omnia dicantur ordinem, considerantur tamen
etiam sine tali ordine.

SECTIO II.

De obiecto materiali Logica.

Triplex sen-
tentia.
Omnes quæ de parte materiali obiecti Logica
variorum Doctorum sententiæ, reuocantur, ni-
fallor, ad tria capita. Primò enim statuunt aliqui
considerari à Logica res omnes, atque adeò Logi-
cam esse vniuersalem quandam scientiam, omnia
respicientem quæ fieri possunt. Alij ad solas voces
expressiuas conceptuum Logicam restringunt,
quod communiter solet tribui Nominalibus,
quamuis contrarium colligi posse videatur ex
Ochamo tum initio Logica, tum in *primum dist. 1. q. 8.*
Alij secundò ponunt Logicæ obiectum ali-
quid in solo intellectu existens, sed obiectiue
volunt sola considerari à Logica *entia rationis*, &
secundas (ut ipsi vocant) intentiones. Tertio
communius dici solet obiectum Logica operationes
esse ipsius mentis, atque adeò illud existere in
solo intellectu, sed subiectiue; quod tamen non
vno modo explicari solet, ut patebit statim.

S. I.

*Verum res omnes, aut sola voces sint
obiectum Logica.*

Dico primò, neque res omnes, neque solas **Conclusio**
voces expressiuas conceptuum esse partem ma- **negatiua.**
terialem proximi, & directi obiecti Logica.

Ratio vtriusque partis conclusionis est sola de- **Probatio**
finitio proximi, & directi obiecti alicuius scien- **vniuersæ**
tiæ; siquidem obiectum aliud est proximum, aliud **assertionis.**
remotum in qualibet scientia. Dicitur *proximum*
obiectum illud quod per se terminat actum alicuius
habitus, vel potentia: *remotum* quod terminat
mediante alio; sic enim *color* est obiectum proxi-
mum potentia visui; *paries* autem est obiectum
remotum, quia color per se terminat visionem, pa-
ries autem mediante colore illam terminat. Vnde
conficitur argumentum. Illud non est proximum
Logica obiectum, quod non terminat per se ipsum
omnes actus Logica: *res omnes* non per se termi-
nant ipsos actus Logica, qui omnes sunt cog-
nitiones operationum dirigendarum, atque adeò ter-
minantur proximè ad operationes, remotè autem
ad res: ergo *res omnes* non sunt proximum obie-
ctum Logica, alioqui Logica non esset certa qua-
dam & specialis scientia, sed generalis duntaxat
affectio cuiuslibet scientiæ, quæ Physica esset,
dum discurreret circa *corpora naturalia*, esset Ma-
thematica dum versaretur circa *rerum mensuras*,
Metaphysica prout versaretur circa generalissima
entis attributa, prout abstrahunt ab omni materia,
& possunt puris Intelligentiis esse vel propria, vel
illis communia cum corporibus; quod est excinde-
re omnem Logicam, & negare veram aliquam scien-
tiam, quæ specialiter dirigat intellectum discurren-
tem, ne errat: sicut datur scientia quedam Ethica,
quæ dirigit voluntatem, ne peccet.

Secundò de *Vocibus* eadem probatio est; obie- **Altera pro-**
ctum enim scientiæ alicuius directum dicitur illud **batio de vo-**
quod propter se ipsum primariò cognoscitur, non **cibus.**
autem secundariò tantum, & propter aliud. Logi-
ca non versatur primariò circa solas *voces* propter
ipsas, sed secundariò tantum, & propter operatio-
nes mentis, quarum sunt expressiuæ; sola enim
Grammatica *voces* primariò, & earum significa-
tiones ac directionem considerat: ergo *voces* non
sunt Logica obiectum, etiam inadæquatum; quod
videtur repugnare Sancto Thomæ *primo de inter-*
pretat. lect. 1. quod enim nullo modo consideratur
nisi propter aliud, non est obiectum primarium,
etiam parziale.

Obiicitur primò. Hic syllogismus: Quidquid **Prima obie-**
potest inesse multis, potest prædicari de multis: **ctio.**
sed vniuersale potest inesse multis: ergo vniuersale
potest prædicari de multis: sed illud est sine dubio
actus Logica, versatur autem immediatè circa *res*,
non autem circa ullam mentis operationem: ergo
actus Logica versantur immediatè circa *res*, quæ
propterea sunt immediatum obiectum Logica.

Resp. negando quod propositus ille syllogismus
immediatè versetur circa *res*, cum versetur circa
prædicabilitatem vniuersalis, quæ pertinet ad ope-
rationes mentis; imò est operatio mentis. Est
autem immediatè ille syllogismus versetur circa *ip-*
sas res, certè negari potest illum esse actum imme-
diatum huius scientiæ, actum videlicet qui elicia-
tur primò & per se à Logica; sed ad summum actus
est mediatu, qui scilicet non eliciatur propter se
ipsum. Visio enim v. g. est actus immediatus po-
tentia

rentia videntis; visio autem albi actus est mediatuſ. Id autem quod ſpecificat ſcientiam non eſt actus mediatuſ, ſed actus immediatuſ & adequatuſ. Ille verò ſyllogiſmuſ ſi ſpectat ad Logicam, ſpectat vt actus mediatuſ, non autem vt actus immediatuſ.

Obiicitur ſecundò: hic actus [Definitio vocalis explicat naturam rei.] immediatè verſatur circa ſolas voces: eſt autem actus Logicæ: ergo actus Logicæ immediatè ac directè verſatur circa voces.

Reſp. illum actum indirecè duntaxat & ſecundariò ſpectare ad Logicam, non autem primariò & directè, quia non elicitur à Logica, niſi vt iunctur directio ipſarum mentis operationum.

§. I I.

Vtrum materiale obiectum Logicæ ſit Ens rationis, & ſecundæ intentiones obiectiuæ.

Ens rationis logicum.

Certum eſt ſecundò, ens rationis vniuerſaliter ſuſceptum, vt dicam initio ſecundæ diſputat, eſſe ens ſictum ab intellectu, & nullo modo exiſtens à parte rei, ſeu eſt id, quod cogitatur ac ſi reuera eſſet; cum tamen neque ſit, neque poſſit eſſe à parte rei: huiuſmodi eſt chimæra, vel hircoceruſ. Ens autem rationis quod vulgò dicitur Logicum, plurimùm diſſert ab ente rationis communiffimè ſumpto; nihil enim illud eſt: ſed quàm denominatio extrinſeca ab operationibus mentis, per quas aliquid dicitur prædicatum, ſubiectum, definitio, diuiſio, argumentatio, id eſt res ipſa prout denominatur eſſe genus, ſpecies, &c. & hæ vocari communiter ſolent *ſecundæ intentiones obiectiuæ*, ad quarum intelligentiam

Prima & ſecunda intentio.

Certum eſt ſecundò, *intentionis* nomen, licet voluntati tribuatur prout tendit in finem, ſummi tamen apud Dialecticos pro actu intellectus, vel pro eius obiecto; nam intendere non eſt aliud quàm *tendere in*: cognitio autem eſt tendentia quadam in obiectum; idè vocatur intentio formalis, obiectum autem ab ea cognitum vocatur intentio obiectiuæ, quæ vtraque iterum eſt duplex, prima & ſecunda. *Prima intentio formalis* eſt cognitio rei ſecundùm ea, quæ conueniunt illi à parte rei: *prima intentio obiectiuæ* eſt res cognita ſecundùm ea, quæ conueniunt illi à parte rei. *Secunda intentio formalis* eſt cognitio rei ſecundùm ea, quæ conueniunt illi per intellectum, prout nimirum eſt cognita: *ſecunda intentio obiectiuæ* eſt res cognita ſecundùm ea, quæ conueniunt illi per intellectum, & prout eſt cognita. Vulgò autem Dialectici quando ſecundas nominant *intentiones*, loquuntur de iſtis ſecundis intentionibus obiectiuis. Hoc poſito

Status controuerſie.

Difficultas non eſt, vtrum ens rationis illud chimericum ſit obiectum iſtud Logicæ, quod inquirimus, nemini enim venit vnquam in mentem hoc aſſerere; nam Logicæ ſic conſiderat omnes chimæras, imò ſolum ens reale eſt aliquid ſcibile; entia verò ſicta non ſunt ſcibilia. Si verò aliqua eſt ſcientia, cuius aliquod munus ſit ens rationis conſiderare, illa eſt ſine dubio Metaphyſica, cuius obiectum eſt ens reale, quod commodè ac adequatè nequit intelligi ſine oppoſito ente rationis. Itaque illi omnes Doctores quibus placuit aſſerere, quòd ens rationis ſit obiectum materiale Logicæ, voluere tantùm ens illud rationis, quod Logicum nominant, eſſe huiuſmodi obiectum, id eſt denominationes illas ſunt id, quo ſignificatur obiecti, prædicati, &c. ſeu ipſamet obiecta prout deno-

R. P. de Rhodes curſ. Philoſoph.

A minantur ſubiecta, prædicata, definita, &c. Contra quos tamen

Dico ſecundò, *Ens rationis*, etiam *logicum*, & *ſecundus illas intentiones obiectiuas* in nullo verò ſenſu dici poſſe obiectum Logicæ directum. Ita communiffimè tradunt Doctores infra citandi pro mentis operationibus formalibus. Repugnant autem cum omnibus Thomiſtis Maſius, Vallæſ, Sotus, Toletus.

Aſſertio negans.

Ratio autem primò eſt, quia entia illa rationis *logica* verè realia ſunt entia, vt demonſtrabo ſecundà diſput. vbi probabitur denominationes extrinſecas ab actibus intellectus realibus planè reales eſſe, cum nihil in eis ſit fictum. Sed eſto vocentur illæ denominationes ſubiecti, prædicati, & aliæ huiuſmodi, entia rationis, adhuc oſtendo illas non conſiderari directè à Logica, ſed ſecundariò tantùm, & in ordine ad operationes mentis. Illud ſolum conſideratur directè à Logica cui ſoli applicantur præcepta Logicæ: ſed ſolis operationibus mentis formalibus, non autem obiectiuis, applicantur præcepta Logicæ; nam v. g. illud eſt Logicæ præceptum: [Syllogiſmuſ in *Barbara* tribus conſtat propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis;] quod præceptum eſt de ſyllogiſmo, atque adeò de vera mentis operatione: ergo Logica non directè ac primariò conſiderat entia illa rationis *logica*, & ſecundas intentiones obiectiuas. Et confirmatur, quia ſi Logica conſideraret directè huiuſmodi entia, neceſſe eſſet, vt ea, quæ Logica docet, verificentur de illis, non autem de ipſis rebus realibus; ſed non verificantur ea, quæ Logica docet de illis entibus rationis; nam v. g. cum dicitur *prædicatum* affirmari debere de *ſubiecto*, non licet tamen dicere *ſubiectum* eſſe ipſum *prædicatum*; ſed tantùm quod Petruſ eſt homo: ergo maniſeſtum eſt entia rationis indirecè tantùm pertinere ad logicam conſiderationem.

Prima probatio.

Secundò ſi ens rationis logicum eſſet obiectum ipſius Logicæ, deberet ſimili modo eſſe obiectum Moraliſ, aut etiam Rhetoriciæ, aliarumque diſciplinarum; ſicut enim ex operationibus mentis reſultat denominatio extrinſeca, per quam obiecta dicuntur genera, ſpecies, definita, diuiſa, &c. ita ex operationibus voluntatis dicuntur honeſta, inhoneſta, &c. in Rhetoriciæ dicuntur tropi, figuræ, &c. ſed obiecta illarum ſcientiarum non ſunt entia rationis moralia vel rhetoriciæ: ergo etiam obiectum Logicæ non eſt ens rationis logicum.

Secunda probatio.

Tertiò probant eandem aſſertionem rationes omnes ſtatim adducendæ, quibus probabitur operationes mentis primò & per ſe conſiderari à Logica, cum illa non intendat aliud, quàm earum directionem; imò illæ operationes prout dirigendæ, ſunt aliquid ſcibile ab aliqua ſcientia, quæ non po- teſt eſſe niſi Logica.

Tertia probatio.

Obiicitur primò. Nihil tractatur aliud à Logica, præter entia illa rationis logica & obiectiuæ; nam prædicabilia, prædicamenta, termini, enunciatio- nes, definitio, diuiſio, argumentatio, entia ſunt rationis logica: ergo ens rationis eſt adequatum obiectum materiale Logicæ.

Reſp. diſtinguendo antecedens: nihil aliud tractatur primariò & directè à Logica, quàm entia rationis, quæ vocantur logica, id eſt prout ſunt entia rationis, nego; nihil tractatur aliud ſecundariò & indirecè, quatenus ſcilicet per illa ſignificantur operationes mentis reales, concedo. Entia ergo iſta rationis ſunt obiectum Logicæ, duntaxat indirec- tum & ſecundarium, quia ſunt id, quo ſignificatur obiectum Logicæ directum.

A

Obiicitur

DEPHODE

Obicitur secundò. Quæcunque tractantur in Logica, tractantur sub consideratione entis rationis; Logicus enim non agit de genere, specie, &c. nisi quatenus sunt obiectum diuisum, definitum, &c. ergo ens rationis primò & per se à Logica consideratur. Vnde fit vt Logica appelletur scientia rationalis & sermocinalis, non autem scientia realis.

Resp. eodem modo ac priùs, Logicam considerare sepe per huiusmodi entia rationis, non vt sunt obiecta definita, diuisa, &c. sed quatenus per illa significantur operationes ipsæ mentis, quæ sunt definitiones, diuisiones, & aliæ huiusmodi, quarum directionem Logica intendit.

Obicitur tertio. Contrariorum eadem est disciplina: ergo Logica quæ realem definitionem considerat, agere debet etiam de ficta, quæ reali opponitur; sicut Metaphysica, quæ considerat ens reale, considerat etiam ens rationis.

Resp. negando bonam definitionem opponi definitioni fictæ; nam opponitur reali definitioni, sed male, sicut virtus realis opponitur vitio etiam reali; alioqui sequeretur Physicum qui agit de vero cælo, agere etiam de cælo ficto. Ad probationem negatur paritas; Metaphysica enim agit de ente reali vt est reale, idè mirum non est quod agit de ente ficto: Logica verò non agit de definitione vt realis est, sed vt bona est; idè non agit de definitione ficta.

§. III.

Vtrum obiectum Logicæ adæquatum sint tres mentis operationes.

Subiectum adæquatum Logicæ, nec est aliquid existens realiter, neque aliquid existens fictè extra ipsum intellectum, vt probabam hætenus, sequitur vt in solo resideat intellectu tanquam in subiecto, atque adèò vt sit aliqua mentis operatio, quod modò disputandum est, neque, vt monui nuper, explicari vno modo solet; alij enim solum syllogismum, imò & solam demonstrationem volunt esse obiectum istud totale: alij ponunt modum sciendi, idè diuisionem, definitionem, & syllogismum, vel formalem, vel obiectiuum: alij omnes mentis operationes, saltem prout dirigendas, Logicæ assignant.

Conclusio
bipartita.

Dico tertio, neque solum syllogismum, aut etiam demonstrationem; neque solum modum sciendi, esse adæquatum obiectum Logicæ.

Syllogismus
non est obiectum
totale.
Prima probatio.

Primam partem cum Scoto, Alberto & pluribus Interpretibus Aristotelis negant Vasques, Hurtaeus, Arriaga; plures autem communiùs affirmant mox citandi. Ratio autem primò est, quia prima & secunda mentis operatio, prout sunt totales operationes à tertia distinctæ, habent scibilitatem, & dirigibilitatem distinctam à dirigibilitate ac scibilitate tertiæ operationis, siue illa sit sola demonstratio, aut etiam quilibet syllogismus. Vnde argumentor. Obiectum adæquatum attributionis alicuius scientiæ illud est, ad quod omnia referuntur; syllogismus & demonstratio non sunt huiusmodi; prima enim & secunda operatio tractantur à Logica, neque, vt sic, dicunt ordinem ad syllogismum & demonstrationem, alioquin non sunt totales operationes: ergo neque sola demonstratio, neque solus syllogismus sunt adæquatum obiectum Logicæ. Probatur minor, quia prima & secunda mentis operatio, prout totales, & independentes à tertia, veram habeant essentiam & veras proprietates: ergo ha-

A bent veram scibilitatem & dirigibilitatem ratione cuius possunt cognosci ab aliqua scientia: sed non cognoscuntur ab alia scientia quam à Logica: ergo illæ operationes habent scibilitatem propriam quam considerat Logica; imò si per impossibile Logica non consideraret tertiam mentis operationem, adhuc tamen considerare posset primam & secundam operationem.

Secundò illud obiectum est Logicæ adæquatum, quo posito ponitur scientia Logica, & quo sublato tollitur: sublata tertiâ operatione adhuc tamen maneret Logica, nam adhuc tradi possent præcepta de definitione & enunciatione: ergo, &c. Et sanè operationes mentis eodem modo pertinent ad Logicam, quo operationes voluntatis pertinent ad Moralem, & corpus pertinet ad Physicam: sed quilibet actus voluntatis prout honestate informandi pertinet ad Moralem, non soli actus perfectissimi; & quodlibet corpus ad Physicam, alioqui solus homo esset adæquatum obiectum Physicæ: ergo, &c.

Secunda
probatio.

Secunda pars modum sciendi negans esse obiectum totale Logicæ, contra Fonseca, Masium & Conimbricenses, eger explicatione. Modus enim sciendi, alius est formalis, alius obiectiuus. *Modus sciendi formalis* sunt ipsæ operationes intellectus, quibus traduntur præcepta diuidenti, definiendi, argumentandi. *Modus sciendi obiectiuus* est obiectum, quod definitur, diuiditur, & argumentatione concluditur, v. g. homo, est obiectum definitum, diuisum, &c. Tres igitur illi actus intellectus, definitio, diuisio, argumentatio, dicuntur modi sciendi, seu instrumenta sciendi, quia illis vt possumus ad rectè cognoscendum, & ad tradendas certas quasdam regulas quibus perficiatur directio operationum mentis, idè operationes quæ dirigunt tradentes præcepta: modus enim sciendi formalis est ipsamet notitia directiua, quam habemus de actibus rectè faciendis. Vel certè sunt actus ipsimet intellectus obiectiuè considerati cum regulis & præceptis suæ directionis, quo pacto se habent idealiter ad dirigendas singulas operationes in vltimo actu. Quoties igitur asseritur, obiectum Logicæ esse modum sciendi, significatur quod idea & regulæ seu præcepta definiendi, diuidenti, argumentandi, primariò & adæquate à Logica considerentur; hoc autem negauit conclusio.

Modus sciendi
quid sit.

D Primò quia, vt nuper argumentabar, illud quod non omnia complectitur, quæ tractantur in aliqua scientia, non est obiectum scientiæ: sed tres modi sciendi, siue præcepta definiendi, diuidenti, argumentandi, non complectuntur omnia quæ tractantur primariò & per se à Logica, cum illa tractet etiam vniuersalia, categorias & enunciationem, præciso ordine, quem dicunt ad præcepta definiendi, diuidenti & argumentandi; sunt enim, vt sic, aliquid scibile: ergo tria illa instrumenta sciendi quibus traduntur vel significantur præcepta definiendi, diuidenti, argumentandi, non sunt adæquatum Logicæ obiectum.

Prima ratio.

E Secundò illud non est directum obiectum Logicæ, cuius cognitio non primariò & propter se ipsam intenditur à Logica, sed refertur ad aliud: modus sciendi cognoscitur à Logica propter operationes mētis, non autem propter se ipsum; nam omne instrumentum refertur vlteriùs ad rem cuius faciendæ est instrumentum; modus autem sciendi seu præcepta sunt instrumenta operationum rectè faciendarum: ergo ad illas referuntur, non autem intenduntur propter se ipsa, atque adèò non sunt directum obiectum Logicæ; sic enim in omnibus artibus & scien-

Secunda ratio.

scientiis practicis, obiectum earum non sunt instrumenta, quibus perficiuntur operationes artium, sed ipsæ opera, v.g. obiectum picturæ non sunt penicilli, obiectum artis scribendi non sunt calami, quia scilicet reducuntur ad opera, propter quæ assumuntur. Idem ergo affirmandum est de Logicæ, ad quam secundariò & reductiue pertinent præcepta; non considerantur autem primariò & directè, & multò minus adæquatè.

Prima obiectio.

Obiicitur primò: illud est obiectum adæquatum & attributionis in aliqua scientia, ad cuius notitiam perfectam, tanquam ad finem ultimum aliorum obiectorum, per se, & ex natura ordinatur; ad quod nimirum omnia referuntur. Huiusmodi est demonstratio & tertia operatio; nam cognitio *paris* essentialiter refertur ad cognitionem *totius*; operatio autem prima & secunda partes sunt demonstrationis: ergo sola demonstratio, & tertia operatio est obiectum adæquatum Logicæ.

Resp. primam & secundam operationem considerari posse, vel ut sunt *tota* quædam *completa*, vel ut sunt *partes* tertiæ operationis: quando considerantur ut *tota* quædam, non referuntur ad tertiam operationem; quid enim obstat, quo minus possim considerare definitionem hominis non cogitando de illo syllogismo, sicut consideratur numerus quaternarius ut numerus totalis, & est pars octonarij. Et clarè hoc ostenditur in Angelis, qui discursum non habent, & tamen habent definitionem. Patet ergo distingui debere minorem: ad demonstrationem referuntur prima & secunda operatio ut sunt partes, concedo; pro ut sunt *tota*, nego.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò: illud est obiectum attributionis scientiæ quod est ultimus finis scientiæ per se primò appetibilis: sola demonstratio est eo modo finis Logicæ per se ultimò appetibilis: ergo sola demonstratio est obiectum adæquatum Logicæ. Probat minor, illud solum est ultimus finis per se ultimò appetibilis, quod solum ultimò perficit & satiat potentiam, id est per quod totum obiectum percipitur, in quo quiescit appetitus potentia: illud est sola demonstratio: ergo illa sola est finis.

Resp. finem ultimum dupliciter posse intelligi; primò enim significat finem simpliciter ultimum, ad quem referri possunt alia omnia; secundò significat finem adæquatum, qui non solum includit finem simpliciter ultimum, sed etiam plures alios fines secundum quid ultimos. Obiectum adæquatum attributionis est finis eius adæquatus; finis autem simpliciter ultimus est obiectum primarium, quod appellant *obiectum principiativum*. Hinc ad formam argumenti distinguitur maior: illud est obiectum scientiæ quod est finis adæquatus per se ultimò expenibilis, concedo; quod est finis simpliciter ultimus, seu primarius, nego. Demonstratio est finis Logicæ adæquatus, nego; simpliciter ultimus, concedo: nam etiam si principaliter intendat demonstrationem, intendit tamen etiam per se, licet minus principaliter, reliquas omnes operationes.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio: finis Logicæ est tradere modum sciendi: sed modus sciendi est sola demonstratio: ergo illa sola est finis ultimus Logicæ. Confirmatur, si nulla esset demonstratio, prima & secunda operatio non possent sciri, quia sola demonstratio est scientia: ergo prima & secunda operatio non habent scibilitatem distinctam à scibilitate demonstrationis.

Resp. distinguendo maiorem: finis adæquatus

A Logica est tradere modum sciendi, qui est demonstratio, nego; finis simpliciter ultimus & primarius, concedo: Logica enim considerat etiam alios modos sciendi. Ad confirmat. nego antecedens & consequentiam. Antecedens, quia prima & secunda operatio possent sciri, saltem ab Angelis, etiam si nulla esset demonstratio. Consequentiam, quia sequeretur alias scientiæ non habere obiectum distinctum, à demonstratione.

Instabis: operationes mentis non pertinent ad Logicam nisi pro ut sunt modi sciendi & discernendi: sed non sunt modi sciendi nisi definitio, divisio, & demonstratio: ergo illæ solæ pertinent ad Logicam.

B Resp. distinguendo maiorem: operationes mentis non pertinent ad Logicam nisi pro ut sunt modi sciendi; si per modum sciendi significetur quatenus sunt utiles scientiis, concedo; si significetur quatenus per illas potest aliquid scientificè cognosci, nego maiorem; contrarium enim demonstratum est.

Dico quartò, tres mentis operationes, *primam Apprehensionem* videlicet, *Enunciationem*, & *Syllogismum* esse verum, & adæquatum obiectum Logicæ. Hæc est inter Doctores hodie communissima sententia, quam tradidit suæ dubio S. Thomas in *libris de interpretat.* & *primo posteriorum*: sequuntur Caietanus, Suarez, Auerla.

Tres mentis operationes Logicæ sunt obiectum.

C Primò enim sic probant rationes omnes, quibus improbatæ sunt aliæ omnes sententiæ, quæ obiectum Logicæ ponunt vel aliquid extra intellectum realiter existens, aut etiam obiectiue; vel aliquas tantum operationes existentes subiectiue in intellectu; sequitur enim ex eo quod Logica versetur primariò & directè circa omnes mentis operationes. Deinde multæ quoque aliæ rationes idem probant.

Prima probatio.

Secundò enim omnes conditiones obiecti adæquati conveniunt tribus mentis operationibus; nam ad eas referuntur omnia illa quæ tradit Logica, & singulæ per se primò, cum singulæ propriam habeant scibilitatem, & dirigibilitatem distinctam ab omni alia dirigibilitate, ac scibilitate cuiuscunque alterius; sunt enim entitates totales independentes à quolibet alio. Quidquid autem est ens independentes ab alio, est scibile independentes ab alio. Præterea illud est obiectum materiale cuiuscunque habitus, tum artificiosi, tum scientifici, in quod formam suam artifex inducit: Aurificis v.g. subiectum dicitur esse aurum, quia figuram v.g. vasis aut annuli Aurifex in illud inducit: Logica suam formam, id est rectitudinem inducit in omnes mentis operationes: ergo illæ sunt obiectum materiale Logicæ. Neque dicat in artibus esse verum, non in scientiis: nam artis materia idè est id, in quod ars suam inducit formam, quia ars est habitus operatiuus: scientia practica est etiam habitus operatiuus: ergo in scientia practica æquè ac in arte illud est obiectum proprium, in quod scientia illa suam formam inducit.

Secunda probatio.

Tertia probatio.

Denique omnis habitus per se institutus ad dirigendas operationes humanas, habet pro suo subiecto illas operationes; sic enim *Salvatio* est obiectum artis saltatricis; *cantus*, Musicæ; artis pingendi, *pictura*; scientia Moralis respicit omnes operationes voluntatis capaces moralitatis & directionis. Logica instituta est per se ad dirigendas operationes intellectus: ergo illæ operationes sunt proprium eius obiectum.

Quarta probatio.

Obiicitur primò, Mentis operationes non sunt

A 4

Prima obiectio.

obiectum Logica nisi prout sunt capaces directionis: prima mentis operatio nullius directionis est capax, cum sit simplex apprehensio, unde tres, ut dixi, assignantur modi sciendi, Definitio, Diuisio & Argumentatio: ergo prima mentis operatio non est obiectum parziale Logica.

Resp. primam mentis operationem esse capacem veræ directionis, ut contra Huradum recte probant multi Recentiores; tunc enim habet rectitudinem quando explicitè ac clarè rem apprehendit; cum distinctè concipit ea quæ in se distincta sunt; cum quærentes propriam rei alicuius essentiam inuenire, reuerà illam assequimur, seu quando est clara, distincta, & propria: tunc autem in ea non est rectitudo, quando est obicuta, idest dum non considerat singulas partes, & gradus essentielles rei alicuius; quando confusa, idest dum ea, quæ sunt distincta, considerat ut aliquid vnum; quando impropria, idest dum quærens proprium rei alicuius conceptum, accipit aliquid ei repugnans, ut cum apprehendit Angelum ut *corporeum*. Si ergo prima operatio fieri potest recta & non recta, capax esse potest directionis.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò: scientiæ distinctæ habent obiecta realiter distincta: mentis operationes pertinent ad Physicam, cum sint actiones animæ: ergo non pertinent ad Logicam.

Resp. distinguendo maiorem: scientiæ distinctæ habent obiecta realiter distincta, nego; habent obiecta distincta formaliter, concedo, idest singula habent rationes formales sibi proprias, quæ ab aliis non considerantur. Nam ex omnibus ferè scientiis & potentiis constat, illas esse distinctas, tametsi obiecta earum realiter distincta non sint; præsertim si sint obiecta solum materialia; imò & obiectorum etiam formalium distinctio solum per intellectum satis est ad realem distinctionem habituum & potentiarum, ut probabitur suo loco. Logica igitur à Physica distinguitur, quia considerat operationes mentis sub aliqua ratione formali, sub qua non considerat illas Physicæ; & de hac mihi modò querendum est.

SECTIO III.

De formali obiecto Logica.

Habemus materiam adequatam circa quam tota occupatur Logica consideratio. Nunc, quia illa eadem spectare potest ad alias scientias, inquirendum superest, secundum quam rationem ita consideretur à Logica, ut illius propria omnino sit: quæ ratio dicetur obiectum formale Logica.

Status quæstionis & distinctæ sententiæ.

Conueniunt quidem omnes, rationem illam formalem, esse rectitudinem operationum mentis, sed in ea explicanda sunt diuersi Doctorum sensus. Alij appellant dirigibilitatem, idest, capacitatem rectitudinis, & operationem ut dirigibilem esse volunt obiectum totale. Alij rectitudinem, quatenus est idea & regula: totale autem obiectum esse volunt operationes mentis ut directiuas aliarum. Alij rectitudinem iam perfectam & in facto esse. Denique alij rectitudinem ut actu faciendam, & operationem rectam ut faciendam, siue in ipso fieri: quæ omnia ut perspicue dissoluam, de singulis breuiter dicam quod sentio.

Operatio dirigibilis non est obiectum Logica.

Dico primò, Mentis operatio prout dirigibilis non est obiectum adequatum Logica: neque dirigibilis obiectum eius formale, si operatio dirigibilis significet operationem prout capax est directionis, seu prout potest fieri recta; & dirigibilis

A significet solam capacitatem rectitudinis. Antequam probetur assertio, quam multi negant Recentiores:

Obserua rectitudinem artificiosam operationum mentis non esse aliud, quam entitatem ipsius operationis prout connotat regulam recte operandi, cui est conformis: sicut rectitudo in actu moralis, quæ honestas dicitur, est actus ipse voluntatis prout connotat regulam bene operandi, cui est conformis; sic enim rectitudo mentis operationum est connotatio conformitatis cum regula, inseparabilis secundum entitatem ab operationibus. Regula porò illa nihil est aliud quam idea faciendi syllogismos, definitiones, diuisiones, &c. Itaque directio mentis operationum, est qua illæ sunt conformes regulæ: dirigere verò est facere ut sint definitiones, syllogismi, &c. Operatio ergo dirigibilis, est operatio ipsa prout fieri potest conformis regulæ; & hanc negauit esse adequatum Logica obiectum.

Quid sit rectitudo ipsius operationis.

B Primò enim ratio formalis in scientiis practicis, & forma artis in artefactis est illud ipsum, quod ars vel scientia practica introducit in suum subiectum, siue in materiam: sed id, quod Logica inducit est rectitudo, non autem dirigibilitas: ergo ratio formalis obiecti Logica non est dirigibilitas, sed ipsa rectitudo. Maior videtur perspicua, quia id, quod ars, vel scientia inducit in suum subiectum, est illud ipsum, quod scientiam determinat ad tale subiectum, & quod subiectum determinat ad talem scientiam; quod est esse obiectum formale. Minor ergo probatur, quia dirigibilitas reperitur in operatione ante quamcunque considerationem Logica circa ipsam: ergo dirigibilitas non est id, quod Logica inducit in operationem, sed rectitudo.

Prima probatio.

C Secundò illud sibi obicit Logica, quod primò & per se facere intendit, & facit: sed non intendit primò & per se, nec facit dirigibilitatem in operatione: ergo dirigibilitas non est id, quod Logica sibi obicit. Probatur maior: scientia practica ideò cognoscit obiectum, quia illud facit; imò illud cognoscit ut faciat: ergo scientia illud cognoscit, quod facit.

Secunda probatio.

D Obicitur primò. In hoc scientia practica differt à scientia speculatiua, quod scientia practica non supponat suum obiectum iam factum, sed in fieri: sed operatio recta est obiectum iam factum, sola verò dirigibilis est in fieri; nam operatio recta est operatio iam perfecta, & non amplius perfectibilis: ergo sola operatio dirigibilis est obiectum Logica.

Prima obiectio.

E Resp. nomine *rectæ operationis* non significari operationem, quæ iam facta est recta, ut constabit ex dicendis; & nomine *operationis dirigibilis* non significari eam, quæ sit actu recta, sed eam quæ potest fieri recta, seu quæ capax est rectitudinis. Vnde sola hic de vocibus potest esse controversia.

Obicitur secundò. Operatio dirigibilis ut sic, est aliquid scibile: ergo pertinet ad aliquam scientiam, quæ sine dubio sola potest esse Logica. Imò illud est obiectum scientiæ, circa quod illa versatur ad aliquid efficiendum: Logica versatur circa operationem dirigibilem, ut faciat illam directam: ergo, &c.

Secunda obiectio.

Resp. utroque illo argumento probari, quod operatio dirigibilis pertinet ad Logicam tanquam obiectum materiale; non probari, quod pertineat ad eam ut obiectum formale. Nam obiectum materiale illud est, circa quod scientia versatur, ad aliquid efficiendum circa illud.

Obicitur tertio. Obiectum formale in scientiis practicis, & in artibus est res aliqua operabilis modo operabili,

Tertia obiectio.

Disp. I. Quæst. I. de Obiecto Logicæ. 9

operabili: sed operatio mentis vt operabilis est operatio dirigibilis: ergo, &c. & confirmari potest, quia hoc eodem loquendi modo solent explicari obiecta aliarum scientiarum, & artium, v. g. obiectum Medicinæ est corpus *sanabile*, non corpus *sanatum*, aut *sanandum*. Obiecta item potentiarum sic dicuntur, v. g. obiectum intellectus, est ens *intelligibile*; obiectum oculi est corpus *visibile*: ergo illa operatio, quæ pertinet ad Logicam, est operatio dirigibilis.

Resp. negando, obiectum habitus practici esse illud *operabile*, quod significat ipsam rem pro vt *potest fieri*; sic enim illud pertinere non potest ad habitum practicum, qui necessarîo inducit suam rationem formalem in obiectum; illam operabilitatem inducere non potest. *Operabile* igitur consideratum modo operabili, significat rem ipsam pro vt debet fieri, & actu fit: operatio autem dirigibilis est operatio quatenus potest fieri recta; quod Logica supponit, non facit. In aliis quoque habitibus & potentiis *operabile* debet explicari; nam obiectum Medicinæ non est corpus vt potest fieri *sanum*, sed corpus quod fit & debet fieri *sanum*. Obiectum intellectus practici non est *ens* quod potest intelligi, sed *ens* quod debet intelligi & intelligitur actu. Obiectum intellectus speculatiui est ens quod mouere potest intellectum. Idem statuendum est de oculo.

Operatio vt
directiua
non est ob-
iectum.

Dico secundò, operationem mentis vt directiuam, seu pro vt est idea operationis rectè faciendæ, non esse obiectum formale Logicæ. Contra Valium, & eos omnes qui ponunt modum sciendi, entia rationis Logicæ, idest præcepta, esse obiectum Logicæ. Vnde probari debet omnibus rationibus contra ipsos allatis *sectione prima*, & nuper contra operationes dirigibiles: valent enim eodem modo contra operationes directiuas.

Duplex pro-
batio.

Primò enim ratio formalis illa solùm est in scientiis & artibus, quam illæ inducunt in suam materiam: huiusmodi non est operatio directiua, seu ratio ideæ, quam Logica supponit, non facit. Deinde in hoc scientia practica differt à speculatiua, quòd ista cognoscat tantum obiectum suum, non autem illud operetur. Vnde arguo, Logica cognoscit tantum operationem directiuam, non illam facit: obiectum Logicæ non cognoscitur duntaxat, sed etiam fit à Logica: ergo illa operatio directiua non est obiectum Logicæ proprium & adequatum.

Prima
obiectio.

Obicitur primò. Illud est obiectum Logicæ, cuius principia & passionis traduntur à Logica: huiusmodi sunt operationes directiuæ, seu præcepta: ergo, &c. Probatur maior, quia in Logica, quæ scientia est, debet poni obiectum non sicut in artibus, sed sicut in scientiis poni solet: sed in scientiis aliis, obiectum illud assignatur, cuius principia, & passionis in ea considerantur: ergo & in Logica. Probatur nunc minor, quia certum est principia, partes & passionis definitionis, diuisionis, & demonstrationis considerari à Logica; illæ autem instrumenta sunt sciendi: ergo Logica considerat principia, partes, & passionis operationum directiuarum.

Resp. negando illud esse obiectum scientiæ practice, cuius passionis & principia considerat talis scientia: nam hoc est obiectum talis scientiæ, in quod inducitur forma scientiæ; illud videlicet est, in quo ars & scientia conueniunt, quòd formam suam vtrique inducat in suum subiectum: sed scientia necessarîo & scientificè, ars, verò continenter, & non vbiq; eodem modo. Obiectum igitur Logicæ debet assignari sicut in scientiis pra-

ticis, non sicut in speculatiuis; atque adeò id quod fit à Logica est obiectum eius.

Obicitur secundò. Illud est obiectum scientiæ, secunda quo posito, ponitur scientia; quo sublato, tollitur: sed positis præceptis ponitur scientia logica, sublatis tollitur; positis enim præceptis, sublatis aliis quibuscunque, diriguntur operationes aliarum scientiarum; sublatis præceptis non diriguntur: igitur solæ operationes directiuæ, seu præcepta sunt obiectum Logicæ.

Resp. distinguendo maiorem. Illud est obiectum scientiæ quo posito, ponitur quasi in actu primo & incompletè, nego; quo posito ponitur in actu secundo & completè, concedo. Positis præceptis fateor poni solùm incompletè, & in actu primo Logicam; nego poni eam in actu secundo & completè; positis enim præceptis poterunt dirigi operationes aliarum scientiarum à Logica, scilicet, quæ circa illas operabitur & applicabit præcepta sua operationibus earum. Sed non diriguntur tamen actu, si sola sint præcepta.

Obicitur tertio. Illud est Logicæ obiectum, quo Logica suum assequitur proprium finem, seu cuius cognitione scientia suas dirigit operationes: Logica suum finem assequitur cognitione præceptorum: ergo, &c. maior est clara, nam idem est obiectum scientiæ, & actus eius præstantissimi: obiectum actus Logicæ præstantissimi est id, quo scientia suum finem assequitur: ergo illud est etiam obiectum scientiæ.

Resp. distinguendo: id, quo scientia formaliter assequitur suum finem est proprium obiectum scientiæ, concedo; nam in practicis, vt habetur ex Philosopho, *finis & obiectum in practico vnum sunt*; illud quo scientia efficienter assequitur suum finem est eius obiectum, nego. Idea cum sit in genere causæ solùm efficientis, est quidem id, quo scientia vel ars efficienter assequitur suum finem, sed non est id, quo illum assequitur finem formaliter.

Dico ergo tertio, formale obiectum scientiæ Logicæ est rectitudo in fieri, obiectum verò adequatum est ipsa operatio recta, non in facto esse, sed in fieri, seu operatio ipsa recta faciendæ, quæ scilicet non solùm fieri potest, sed fit & debet fieri recta: sic omnino explicari debent omnes, qui ponunt obiectum Logicæ operationem dirigibilem, & directam.

Ratio autem primò est, quia huiusmodi operationibus vt dirigendis condiciones omnes conueniunt obiecti practici: ergo illud est eius obiectum: ergo tales operationes sunt obiectum Logicæ quæ practica est, vt probabo. Probatur antecedens, quia condiciones quatuor sunt. Prima, vt illud sit aliquid vnum: secunda, vt distinguat scientiam à quolibet alio: tertia, vt primò & per se intendatur à scientia, reliqua verò propter ipsum: quarta, vt illud sit aliquid operabile vt sic. Hæc omnia conueniunt operationi rectæ vt faciendæ, est enim vt sic aliquid vnum; distinguit Logicam ab aliis scientiis, ad illam reuocantur omnia, quæ tractantur in Logica; & est aliquid operabile, cum non supponatur facta, sed actu fiat & fieri debeat recta hic & nunc. Ergo illa operatio recta pro vt in fieri est verum obiectum Logicæ.

Secundò, vt nuper argumentabar, illud scientiæ practice obiectum est, quod illa scientia primò & per se intendit facere & facit. Logica primò & per se intendit facere, & facit operationem rectam: ergo illa est, &c.

Denique sequitur ex refutatione data omnium aliarum sententiarum, si enim nec operatio dirigibilis,

Tertia.

Verum I o-
gica ob-
iectum.

Prima ratio.

secunda ra-
tio.

Tertia ratio.